

eo, qui coram se lectoris fungebatur officio interrogatus fuisset, utrumne præ infirmitate, qua detinebatur, se de hoc sæculo migraturum speraret, respondit: Certissime scio, quia brevi de hoc transiturus sum mundo. Cui cum moriens diceret, quem episcoporum vellet ad corpus suum sepeliendum vocare, maxime cum nullus comprovincialium remansisset antistitum, qui non esset invitatus ad regale in Francia colloquium, ait: Nostis terram terræ commendare. Vos tantum, cum tempus fuerit, quod vestrum est, facite: Dei est mei corporis commendatorem providere.

CAP. XXIV. — Paucis vero diebus interpositis, in vigilia apostolorum, quæ illo anno evenit quarta feria, certissime sperabat se migraturum de hac vita. Quod licet nominatim non exprimeret, verbis tamen quibusdam aperuit, ac signis evidentibus declaravit. Sane signis omnibus ad Vesperam circumquaque sonantibus, ipse balneatus et sacris vestibus ad hoc usus paratis indutus, humi se prostravit, ac si hora eadem moriturus. Finita ergo synaxi vespertina, cum aliorum adjutorio se levavit, et quasi quodammodo mente consternatus, dixit: O sancte Petre, nunc non fecisti, sicut ego aestimavi. O beatum virum omni laude prosequendum, cujus spiritus quidam erat promptus, licet caro infirma: cui vivere Christus fuit, et mori lucrum. Unde tantopere corporeæ inhabitationis molem velut carcerem quemdam abhorrens, cupiebat dissolvi et esse cum Christo. Iterum spiritu recreatus, per continuos quinque dies mansit quietus, petens ab omnibus indulgentiam, et benedictionem tribuens, donec finita quintæ diei feria, ac vespere lucescente, in sextam Sabbati, aurora jam diei latitudinem terræ illuminante, clericis canentibus et flentibus, in manus Domini spiritum suum commendans, anno incarnationis Domini nostri Jesu Christi nongentesimo septuagesimo tertio, ætatis suæ octogesimo tertio, ordinationis vero quinquagesimo, velut in jubileo, hoc est, plenæ remissionis anno, verus Hebræus transit de hujus mundi Ægypto liber, in æternum victurus cum Domino suo. Transiit autem iv Nonas Julii, tempore Ottonis secundi imperatoris Augusti. Cujus corpus cum ex more ad lavandum esset denu-

A datum, tanta de eo manavit suavissimi odoris fragrantia, ut cunctorum ibi astantium perfunderet nares et pectora. Cujus odoris suavitas tandiu permansit, quousque tolum ac vestibus indutum, in ecclesiam fuit deportatum. Post hæc autem adveniente Wolfgango, Ratisbonensis civitatis episcopo venerando, sancti viri corpus in ecclesia Sanctæ Afræ martyris cum magna gloria est humatum: ubi ipse, dum adhuc viveret, sibi sepulcrum præparari fecit. In quo loco multa per ejus merita sunt assidue miracula, multa infirmis præstantur beneficia, donante Christi gratia: Qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Hæc tui examen judicii expectant, ut te benigno iudice valeant rata consistere. Opto, Pater beatissime, ut in Christo valeas, meique memor semper existat.

(Quædam editio Vitæ a Bernone scriptæ sequens caput insertum habet, quod etsi neque Surius edidit, et Bernonis esse mihi non constat, quoniam tamen ad historiam pertinet, et speciem imaginis sancti Udalrici explicat, placuit hoc loco adjicere.)

Quodam autem tempore, cum idem sanctus pontifex cum felicis recordationis antistite Constantiensis beato Conrado, die Jovis apud sanctam Afram cœnaturus consederat, ambo de cœlestibus rebus continuum habentes sermonem, corruptibilis immemores cibi, spiritu refecti, usque in sequentem sextam feriam divina habuere eloquia, non appositas attendentes carnes. Unde contigit Bajoariæ ducum bajulum quemdam sanctum accedere virum. Cui absoluto pro quo venerat negotio, abeunti carnis frustum dedit, non advertens sextæ observantiam feriæ. Qui nuncius dominum rediens proprium, volens malitia stimulatus sanctos diffamare episcopos, quasi sexta ab carniū esu feria non abstinuissent, in testimonium illico carnis partem a sancto viro acceptam protulit, et ecce, dictu mirabile, species carnis in piscis speciem est conversa, temerarii arguens bajuli detractionem, et sanctorum ostendens innocentiam. Qua de causa gloriosi effugiei pontificis piscis in perpetuum hujus miraculi memoriam compingi solet.

BERNONIS VERSUS

Libro Sacramentorum Saxonico qui habetur in bibliotheca Boheriana, præfixi,

(Mahill. *Annal. Bened.* lib. LV, n. 27.)

*Suscipe conscriptum pura quem mente libellum
Ultima servorum Bern fert persona tuorum,
Qui, licet indignus, tibi fidus semper alumnus,
Obsequio pronus, devoto corde benignus,
Dum viget atque valet, sano dum corpore vivit.*